

APÈNDICE.

Capitulum et Canonici Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum Matris et Capitis.

Dilectis Nobis in Christo Venerabilibus Gabriel de Urquijo hodierno Priori cœterisque Presbyteris Beneficiatis et Capitulo Villæ de Bilbao inservientibus Ecclesiæ Beatæ Mariae Virginis de Begoña, Calagurritanæ Dioecesis, dominii sive Provinciæ Biscayæ, salutem et sinceram in Domino charitatem. Cum de anno 1538 sub nono kal. septembbris seu etc. fuerit à Prædecessoribus Nostris vestris Antecessoribus concessa unio, submisio, aggregatio et incorporatio dictæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis de Begoña Sacros. Nostræ Later. Ecclesiæ ad hoc, ut omnibus gratiis, indulgentiis, indultis et spiritualibus privilegiis frueremini, quibus omnes aliæ Ecclesiæ et pia Loca quæcumque eidem Sacros. Nostræ Lat. Basilicæ unita, submissa, aggregata et incorporata vigore Indultorum Apostolicorum Nobis a quampluribus Summis Romanis Pontificibus concessorum et confirmatorum utuntur, potiuntur et gaudent, sub conditione tamen et decreto, ut pro signo superioritatis Nostræ perpetuum annum Censum unius libræ ceræ albæ laboratæ in vigilio Nativitatis S. Joannis Baptistæ quotannis Nobis persolvere et litterarum renovationes seu confirmationes submissionis hujusmodi de quovis XV anno a Nobis petere et reportare teneremini, prout in primevæ submissionis litteris tunc desuper expeditis, et in registro Archivii Nostri signato, n.^o 5 sub fol. 24 continetur. Modo autem Vos mediante persona D. Patris F. Josephi de las Barcenas, ordinis S. Francisci de Observantia Provinciæ Cantabriæ, et Secretarii Generalis Romanæ Curiae, Nobis humiliter supplicari feceritis ut stante distantia loci prætium scutorum triginta monetæ Romanæ pro emptione quartæ partis unius montis Cameralis non vacabilis cuius fructus stare debeant loco et vice præfati anni census et obligationis renovandi dictas Bullas de quovis XV anno acceptantes, Vos et Successores vestros in perpetuum a præstatione dictorum one-

rum absolveremus. Nos vestris precibus annuere volentes una cum Iltmo. Rmo Matteo Farsetto R. C. A. Clerico, et in præsenti vacatione Archipresbyteratus Sacros. Ntræ. Basilicæ Vicario Apostolico in Patriarchio Nostro, ut moris est, capitulariter congregati auctoritate propria et ordinaria, qua vi- gore dictorum indultorum Apostolicorum fungimur, in quo- rum usus possessione sumus, omniq[ue] alio meliori quo po- ssumus modo, dicta scuta triginta ad effectum præfatum ac- ceptantes, Vos et successores vestros a præstatione dicti an- nui census, et ab obligatione renovandi dictas Bullas de quo- vis XV anno in perpetuum absolvimus, et omnes indulgen- tias, gratias, indulta et spiritualia privilegia in primeva sub- missione concessa in perpetuum confirmamus et concedimus.

Datum Laterani die 7 Martii an. 1699 Smi. Dmi. Inocen- tii PP. XII anno octavo.—Joannes Philippus de Rubeis, Ca- nonicus Lateranensis Camerarius.—Joannes Franciscus Ri- pa, Canonicus a Secretis.

Ego infrascriptus Canonicus Sacros. Later. Ecclesiæ, et Archivii ejusdem Præfector, testor suprascriptam Bullam re- novationis et extinctionis census et obligationis renovandi in perpetuum pro Ecclesia Sanctæ Mariæ de Begoña, in dis- trictu Villæ de Bilbao, Dioecesis (tunc temporis) Calagurrita- næ (nunc vero, Victoriensis) sub die 7.^a Martii an. 1699 ex nostro Registro Bullarum Lateranensium, vol. E,LXIX pag. 19. fideliter translatam atque exaratam, in omnibus cum ori- ginali apprime concordare.

Ita patet etc. In quorum fidem, præsentes litteras mea manu subscriptas sigillo præfati archivii munivi atque signavi hac die 6.^a Martii an. 1891.—David Tarabulini, Canonicus Late- ranensis Præfector Archivii—(Hay un sello que dice: Tabu- larium Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ).

NÚM. 2.

Capitulum et Canonici Sacrosanctæ Lateranensis Eccle- siæ, omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum Matris et Capitis.

Dilectis in Christo Domino Josepho Antonio Lopategui et Andrea Basabe de anno 1795 Judicibus Ordinariis, Fieles Re- gidores vulgo hispanice nuncupatis, anteiglesiæ seu reipu- blicæ de Begoña, dioecesis Calagurritanae in dominio Canta- briæ, salutem.

Quia justa et rationabilia poscentibus noster non est dene- gandus assensus, hinc est quod supplicationibus vestris qui- bus a nobis postulasti ut ea omnia quæ circa Ecclesiam nunc parochialem seu Sanctuarium B. M. de Begoña, supradic- tæ Dioecesis, dominii et reipublicæ, statuta et concessa a nostris prædecessoribus fuere, nos confirmare et renovare dignaremur, favorabiliter inclinati satisfacere libenter delibe- ravimus. Sane jam usque ad annum 1538 sub IX kalend. Sep- tembris anno V Pontificatus Smi. Pauli Papæ III a dictis præ- decessoribus nostris concessa fuit vestris antecessoribus præ- fatæ Ecclesiæ sive Sanctuarii unio, sub missio, aggregatio et incorporatio nostræ Sacrosanctæ Lateranensi archi-basilicæ cum participatione omnium indulgentiarum, spiritualium gra- tiarum eidem nostræ Sacrosanctæ Ecclesiæ a SS. Romanis Pontificibus concessarum, cum conditione tamen et decreto, ut pro signo superioritatis nostræ annum canonem unius li- bræ ceræ albæ laboratæ in vigilia Nativitatis S. Joannis Bapt. hic Romæ nobis solvere, et litterarum hujusmodi unionis, submissionis, aggregationis et incorporationis renovationes seu confirmationes quovis XV anno a nobis petere et reporta- re deberent, alias prædictæ concessiones nullius amplius es- sent roboris, prout in primævæ hujus unionis litteris tunc ex- peditis continetur. Quibus conditionibus cum per plurimos an- nos satisfecerint, sed ob loci distantiam anno 1699 prædeces- sores nostros supplicari fecerint, ut scuta triginta monetæ ro- manæ pro emptione quartæ partis unius montis Cameralis non vacabilis, cuius fructus stare deberent pro satisfactione

præfatorum onerum acceptare vellent, ac eos illorumque successores ab iisdem oneribus in perpetuam absolverent; eorum precibus favorabili voto prosequuti ut ex litteris die VII Martii supradicti anni et octavi Inocentii felic. recor. Papæ XII expeditis, quorum publicum exemplum vobis traditur, clarius patet. Qum autem modosupradicta Parochialis Ecclesia sive Sanctuarium a Smo. Domino nostro Pio Papa VI, feliciter regnante, quam plurimis gratiis perpetuo decoratum fuerit, scilicet Altari privilegiato, quod statuit esse et futurum fore illud B. Virgini Mariæ dicatum; insuper Indulgentia plenaria in septem festivitatibus ejusdem B. M. V. a primis earumdem vesperis usque ad occasum solis dictarum festivitatum lucranda a christifidelibus in quovis die præfatorum dictum Sanctuarium penitentes confessi et sacra Communione reflecti devote visitaverint et pias ad Deum preces pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione, Christianorum Principum concordia et hæresum extirpatione effuderint; præterea indulgentia etiam plenaria lucranda cum supradictis conditionibus ab eis ex Christifidelibus, qui præfatum Sanctuarium in quolibet Sabbato totius anni semel tantum ad sui libitum devote visitaverint et supradictas pias preces effuderint; necnon Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum Christifidelibus idem Sanctuarium cum iisdem conditionibus pie visitantibus in alio sabbato cujuslibet mensis eorum arbitrio eligendo; ac tandem Indulgentia biscentum dierum lucranda ab omnibus Chistifidelibus qui saltem contriti et premissa omnia peragentes supra dictum Sanctuarium in quolibet ex reliquis sabbatis totius anni devote, ut supra, visitaverint; quas omnes Indulgentias applicari etiam posse per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac vita migrarunt, declaravit, prout ex tribus litteris in forma Brevis ejusdem Smi. Domini nostri Pii Papæ VI datis apud S. Petrum die 8 mensis Januarii nuper elapsi clarissime patet.

Quumque tandem idem Smus. Pontifex supradictis gratiis quibus præfatum Sanctuarium decoravit, aliam etiam concederit, nempe facultatem nobis datam ipsi communicandi omnes Indulgentias et spirituales gratias quibus nostra Latera-

nensis Ecclesia fruitur et quæ in primæva unione concessa fuerunt, derogando Constitutioni S. D. Benedicti Papæ XIV, quæ incipit *Assiduæ sollicitudinis*, datæ apnd S. Mariam Majorem pridie Nonas Maji anno 1751, ut ex rescripto facultativo ejusdem SS. Domininostri diei 26 mensis Januarii mox elapsi nobis in authentica forma exhibito, et in nostro tabulario servato clare patet, ac proinde vos humiliter nobis supplicari feceritis, ut prædicta omnia cum præfatarum omnium Indulgentiarum concessione iterum perpetuo confirmare et renovare dignaremur.

Nos igitur vestris precibus favorabiliter inclinati, ac zelum et amorem supradicti SS. Domini nostri erga prædicatam parochialem Ecclesiam et Sanctuarium imitantes, una cum Iltmo. et Rmo. Domino Emmanuel de Gregorio utriusque signaturæ Referendario, Emmi. et Rmi. Domini Card. Vicarii locumtenente, necnon et Emm. et Rmi. Domini Caroli Card. Rezzonico nunc Episcopi Portuen. et S. Rufinæ S. R. E. Camerarii SS. nostræ Ecclesiæ Archipresbyteri Vicario, in papali romano nostro Lateranensi Patriarchio capitulariter de more congregati, auctoritate qua vigore indultorum et privilegiorum apostolicorum nobis a quamplurimis SS. Rom. Pontificibus concessorum et confirmatorum fungimur, in quorum usu et possessione sumus, omnique alio meliori quo possumus modo, via, forma ac jure prædicta omnia a prædecessoribus nostris et a SS. D. N. PP. præfatæ Ecclesiæ parochiali et Sanctuario concessa, quæ inconcussa et vera esse supradictæ litteræ nostrorum prædecessorum et illæ in forma Brevis SS. Domini nostri dubitare minime sinunt, per præsentes iterum perpetuo renovamus et confirmamus et dicto Sanctuario omnes et singulas Indulgentias quibus Sacrosanta nostra Lateranensis decoratur Ecclesia vigore supradicti Rescripti facultativi SS. Domini nostri concedimus et communicamus, quarum indulgentiarum sumptum, seu summarium, est quod sequitur: »In primis ex inconcussa,» etc. usque ad verba: »Competere declaravit atque decretiv.»

Quas quidem omnes Indulgentias supradictæ Ecclesiæ parochiali et Sanctuario perpetuo, ut supra, concedimus et

communicamus, quibuscumque in contrarium non obstantibus, easque omnes Christifideles illud devote visitantes rite tamen dispositi in Domino acquirent. In quorum omnium et singulorum fidem ac robur has præsentes nostras litteras manibus Ilmorum. et Rmorum. DD. Camerariorum et a Secretis Canonicorum nostrorum subscribi, et sigilli capitularis magni, quo in tabulis utimur, jussimus ac fecimus impressione muniri. Datum Laterani die 26 mensis Februarii anni a Nativitate D. N. J. C. 1796, Pontificatus autem SS. in Christo Patris N. Domini Pii divina Providentia PP. VI anno vigessimo secundo—Benedictus Sinibaldi, Canonicus Lat. a Secretis.

Ego infrascriptus Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ Canonicus ejusdemque Archivii Præfectus testor suprascriptam Bullam renovationis seu confirmationis in perpetuum unionis, etc. St. e. Mariæ de Begoña, in districtu de Bilbao Diceesis (tunc temporis) Calagurritanæ, (nunc vero Victoriensis) Nostræ Sacrosanctæ Lateranensi Ecclesiæ sub die 26 mensis Februarii anni a Nativitate D. N. J. C. 1796, in omnibus cum originali, quod in nostro Archivio asservatur vol. E.XCVIII, pag. 118, apprime concordare.

Ita patet etc. In quorum fidem præsentes litteras mea manu subscriptas, sigillo præfati Archivii munivi atque signavi, hac die vigesima octava mensis Junii, anni 1891—David Tarabulini, Canonicus Lateranensis Præfectus tabularii—P. Dominicus Ufert, Pœnitentiarius et sub-Archi vista—(Hay un sello que dice: Tabularium Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ).

NUM. 3.

Summarium indulgentiarum quæ a variis SS. Pontificibus huic Sacrosanctæ Lateranensi Ecclesiæ impertitæ fuerunt.

In primis ex inconcussa traditione ut Panvinius, Rasponius, et alii quamplurimi referunt Auctores, B. Silvester PP. I. concessit remissionem omnium peccatorum visitantibus hanc Sacrosanctam Archibasilicam, quam S. Gregorius PP. II post hujus Ecclesiæ ab Hæreticis factam eversionem, et novam restorationem ab eo consecratæ confirmavit.

Præterea Bonifacius PP. IX dixit: Si quis venerit ad Ecclesiam Nostram Lateranensem pæcationis ergo, pietatis aut peregrinationis, totus ab omni peccatorum sorde expiatur.

Hanc plenariam indulgentiam sequentibus præsertim diebus adnexam fuisse ex antiquis documentis constat, scilicet: Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum, die Cœnæ, Sabbato Sancto, quibus diebus habetur Statio, in Vigilia S. Joannis Baptistæ a primis Vesperis usque ad Solis occasum diei sequentis, die nona Novembri in festo Dedicationis hujus Ecclesiæ SSmi. Salvatoris nostri in quo habetur Statio.

Et insuper Eugenius PP. IV hanc plenariam omnium peccatorum Indulgentiam omnibus Christifidelibus, qui vere contriti et confessi prædictam Lateranensem Ecclesiam visitaverint quotidie expresse concessit, ut ex sua Bulla sub V Non. Junii 1446¹.

Ad Aram maximam sunt quadraginta octo annorum Indulgentiae, et totidem quadragenæ, ac tertiae partis omnium peccatorum remissio.

¹ Copiamos literalmente del ejemplar autorizado por el archivero de Letran; se sobrentiende, aunque no está expresa en dicho ejemplar, la palabra *patet*, ú otra equivalente, que aquí se echó de menos para completar el sentido de la cláusula.

Item Nicolaus PP. IV in sua Bulla data Reate XV Kal. Octobris 1289 Romanis, et circumadjacentibus hanc eamdem Ecclesiam visitantibus tres annos, et tres quadragenas: Tuscis, Apulis, et Lombardis quinque annos, et quinque quadragenas: Ultramontanis vero, et maria transeuntibus septem annos et septem quadragenas concessit, sequentibus festivis diebus, scilicet in ipsius Sacrosancte Ecclesiae, et usque ad ejus octavam, nec non Basilice Apostolorum Petri et Pauli Dedicationum aniversariis diebus; singulis B. Mariæ, et Beatorum Joannis Baptiste, et Evangelistæ usque ad eorum octavas, nec non B. Laurentii Martyris, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis Domini et Pentecostes Festivitatibus, ac in prima Quadragesimæ et Palmarum Dominicis, Cœnæ Domini, Sabbati Sancti, Ressurrectionis Dominicæ, et Sabbati in Albis diebus. Illis vero qui eamdem Ecclesiam visitaverint a prima Dominica de Adventu usque ad Festum Nativitatis Domini, et a Feria IV Cinerum usque ad Festum Resurrectionis Domini quatuor annos et quatuor quadragenas. Illis autem qui in omnium SS. Apostolorum singulis Festivitatibus, nec non Dedicationis et Apparitionis S. Michaelis Archangeli, Exaltationis et Inventionis S. Crucis, B. Nicolai, B. Mariæ Magdalenæ, B. Vincentii et Silvestri, SS. Quadragesima Martyrum, S. Catharinæ, S. Luciæ, S. Margaritæ, SS. Rufinæ et Secundæ Festivitatibus, et Solemnitatibus, et singulis Dominicis duos annos et duas quadragenas; singulis vero diebus totius anni unum annum et centum dies.

Insuper Sabbato in Albis, et in Vigilia Pentecostes, in quibus habetur Statio, quamplurimæ sunt Indulgencie.

A die sexta mensis Maii usque ad quintam decimam Augusti, quamplurimæ in eadem Ecclesia habentur Indulgencie.

In die Transfigurationis D. N. I. C. et in die Decollationis Divi Joannis Baptiste quamplurimæ habentur Indulgencie.

In die S. Joannis Apostoli et Evangelistæ sunt permultæ Indulgencie, et habetur Statio.

Prope Sacrarium asservatur, et colitur magna Mensa in qua Christus Dominus una cum Discipulis suis cœnavit Feria V Majoris Hebdomadis, quam venerantes multas acquirunt

indulgentias, et quæ predicta Feria V nec non die Festo S. Thomæ Apostoli 21 Decembris Fidelium venerationi aperta remanet.

Item Benedictus PP. XIII Litteris in forma Brevis diei 14 Decembris 1726 concessit ut Altare S. Joannis Evangelistæ subtus eamdem Aram maximam perpetuo Privilegiatum sit pro Animabus Christifidelium Defunctorum, ita ut quandocumque Sacerdos aliquis sæcularis sive cujuscumque Ordinis vel Congregationis seu Instituti Regularis Missam Defunctorum pro Anima cujuscumque Christifidelis ad prædictum Altare celebrarit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii consequatur ut a Purgatoriis pœnis liberetur.

Item supradictus Pontifex Benedictus XIII aliis Litteris in forma Brevis diei 2 Jan. 1727 concessit, ut omnia Altaria tam ejusdem Ecclesiae Lateranensis, quam illius Sacrarii, nec non ea quæ sita sunt in Baptisterio Constantiniano nuncupato perpetuo privilegiata sint pro Canonicis vel Beneficiatis, seu Capellanis, aut Pænitentiariis ejusdem Ecclesiae, sive alias ipsi Ecclesiae actu inservientibus dumtaxat eodem modo, quo supradictum Altare S. Joannis Evangelistæ Privilegiatum constituit.

Præterea idem Pontifex aliis Litteris in forma Brevis die 31 Januarii 1727 omnia Altaria Ecclesiæ tantum Lateranensis eodem, quo supra, modo Privilegiata esse voluit pro omnibus Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, seu Instituti Regularibus, qui die Commemorationis omnium Defunctorum et singulis diebus intra Octavam illius dumtaxat in dictis Altaribus Missas celebrentur.

Insuper Clemens XII Litteris in forma Brevis diei 21 Augusti 1737 concessit visitantibus septem Altaria Nostræ Sacrosanctæ Ecclesiae omnes, et singulas Indulgentias, quas luantur visitantes septem Altaria Basilicæ Vaticanæ; Altaria videlicet S. Hilarii Episcopi, S. Francisci de Assisio, SS. Crucifixi, B. Mariæ Virginis de Transitu, S. Andreæ Corsini Episcopi, S. Joannis Evangelistæ, et S. Joannis Nepomuceni Martyris.

In sacello Divi Joannis Baptiste ad Fontes, in quod ob loci sanctitatem numquam ingrediuntur mulieres, quotidie acquiritur peccatorum omnium remissio.

In Sacello S. Laurentii ad Sancta Sanctorum, ubi vera servatur Icon Smi. Salvatoris non manufacta, in quod multæ sunt, et pretiosæ Sanctorum Reliquæ, et in quod maxima sanctitate decoratum fœminis numquam ingredi licet, habetur Indulgentia Plenaria quotidiana, ut ibi descriptum cernitur.

Qui devote Scalam, quæ dicitur Sancta, et vigintiocto gradus habet, quam Diva Helena Imperatrix ex Jerusalen e Domo Pilati educendam curavit, et quam Christus Dominus tempore sue Passionis ascendit, ac Sacratissimo Suo Sanguiue decoravit, flexis genibus scandet, quamplurimas acquirit Indulgentias singulos ascendendo gradus, ut in Tabella ibi affixa legitur.

Prædictas omnes, et singulas Indulgentias, et peccatorum seu pœnarum remissiones, et relaxations, aliasque gratias spirituales, tam pro vivis, quam pro defunctis huic Sacrosante Lateranensi Ecclesiæ a quampluribus Romanis Pontificibus concessas, et quæ jamdudum ipsis scientibus et consentientibus publice in hac eadem Ecclesia proponi consueverunt, etiam si de quarundam illarum primæva concessione certa monumenta nunc non appareant, sanct. mem. Benedictus PP. XIV Motu proprio, et ex certa scientia atque auctoritate sua approbavit, et confirmavit in sua Constitutione quæ incipit *Assiduæ sollicitudinis*, etc. data sub Plumbo apud S. Mariam Majorem prid. Non. Maii 1751, eidemque Ecclesiæ, perinde ac si per eamdem suam Constitutionem ipsi cederentur, sine ulla contradictione competere declaravit atque decrevit.

Suprascriptum summarium Indulgentiarum, a variis SS. Pontificibus huic sacrosanctæ Lateranensi Ecclesiæ concessarum, a me in frascripto ejusdem Sacros. Lat. Ecclesiæ Canonicæ, ejusque Archivii Præfecto, cum originali typis impresso, atquè in eodem Archivio asservato, vol. O, LXXIX pag. 39, attente diligenterque comparatum, in omnibus apprime concordat.— Ita patet etc. In quorum fidem, præ-

sentes litteras, mea manu subscriptas, sigillo præfati archivii munivi atque signavi hac die vigessima octava Junii an. 1891—David Tarabulini, Canonicus Lateranensis Præfector Archivii—P. Dominicus Ufert. Pœnitentiarius et sub-Archivista—(Hay un sello que dice: *Tabularium Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ*)

